

(Prov. Germ. inf.).

## † Adm. R. P. Franciscus Xav. Franz.

(Prov. Germ. inf.).

In coemeterio nostro amoenissimo ad collegium Grüneiche prope Vratlaviam annexo, die 17 martii tumulo contextum est cadaver Adm. R. Patris Francisci Xav. Franz, eiusdem collegii Rectoris, Silesiae Patrum senioris, operarii apostolici de missionibus et exercitiis optime meriti. Nomine Eminentissimi Principis-Episcopi et Cardinalis Adolphi Bertram, qui laboribus apostolicis foris detentus funerum sollemnibus interesse non potuit, praepositus capituli cathedralis Vratlaviensis et vicarius generalis Aphonsus Blaeschke, Congregationis nostrae oblatus, exsequias funerales in ecclesia nostra persolvit. Quibus peractis parochus Vratlaviensis,



in cuius districtu sita est ecclesia nostra, contionem funeralem habuit de textu S. Pauli Apostoli in epistola ad Philippenses, cap. 1, 21: *Mihi vivere Christus est et mori lucrum.* — Ab eodem cadaver demortui postea tumulatum est praesente magna Congregatorum, sacerdotum tam saecularium quam regularium, sororum religiosarum e variis institutis multique populi caterva.

P. Franz die 11 decembris 1864 in Tscherbeney comitatus Borussici Glacensis natus est agricolae filius. Exemplo fratris sui maioris Amandi excitatus ac cura sacerdotis cuiusdam instructus ad studia humaniora transivit, quibus in gymnasio Glacensi anno 1876 vacare incepit. Initio haud prospero successu proficiebat; nam neque scientiam neque puritatem linguae germanicae rite callebat, quia parentes in usu linguae sibi non constabant, sed saepissime sermone vicini confinii bohemicus utebantur. At in studia sedulo insistens brevi ita progrediebatur, ut alumnis, quamvis non egregiae, tamen sat bonae spei annumeraretur. Studiis nondum absolutis

ad maiora vocatum se esse cognovit ac fratris sui Amandi, qui Congregationi nomen iam dederat, vestigia secutus anno 1882 Eggenburgi provinciae Austriacae noviciatum ingressus est, in quo magistro usus est viro egregio P. Gerharo Diessel, qui adulescentem aetatis vix duodeviginti annorum sollicitè ad virtutes christianas informabat et Congregationis nostrae Sanctique Patris nostri Alfonsi pia existimatione et tenero amore imbuere satagebat. Iam die decima iunii 1883 votis obstrictus in studentatum Mauternensem se contulit, ubi brevi post tonsura et ordinibus minoribus initiatus, studiis humanioribus completis philosophiam et disciplinas theologicas coluit. Inter lectores tres eminebant, quorum gratissimam memoriam semper retinuit, P. Augustinus Roesler, P. Georgius Freund et P. Matthaeus Bauchinger. Quadriennio post, die 14 augusti a. 1887 in ecclesia nostra Mauternensi sacerdotio auctus die 17 augusti praesente patre et utroque fratre primam missam Mauternae celebravit, in qua frater eius R. P. Amandus Franz contionem festivalem habuit. Ut studia sua absolveret, P. Franz adhuc theologiae pastorali et iuri canonico vacabat, donec mense augusto 1888 numero Patrum domus Mauternensis ascriptus munus suscepit tum lectoris tum catechistae in schola parvulorum, simulque in nosocomio Ehrnaviensi prope Mautern, hominum senescentium curam spiritualem suscepit.

At in valle Alpium a saeculi strepitu remota, in qua collegium Mauternense situm est, P. Franz brevi ingenium egregii et popularis oratoris animumque curae animarum propensum manifestabat. Hinc iam quattuor annis post provinciae moderatores P. Andreas Hamerle eiusque successor P. Ioannes Schwienbacher Patrem nostrum in vineam Domini vocaverunt. Anno 1894 eum collegio Eggenburgensi adscriptum videmus. Ibi summis viribus in opus missionum se coniecit, ita ut brevi inter praecipuos provinciae missionarios numeraretur. A Deo voce canora donatus argumento ingenioso ac temporum condicionibus convenienti, dispositione logica, elocutione dilucida, actione apta animos capiebat. Nota peculiaris in modo eius contionandi erat iocositas quaedam, qua sermo quasi conspersus videbatur et in vultu ipsa animi hilaritas resplendebat. Nihilominus animos audientium praesertim in contionibus res novissimas tractantibus vehementer commovere potuit. Imprimis vero fidelibus acceptissimus erat in contionibus laudes B. Mariae V. illustrantibus. Ruri aequè ac magnis in urbibus, in spatiosa et illustri ecclesia cathedrali non minus quam in ecclesiuncula rurali sermo eius audiebatur. Missionarius vere popularis per omnes fere dioeceses Austriae et Germaniae verbi Dei facem tulit. Praecipue vero in comitatu Glacensi, regione sibi patria, laborum apostolicorum facem ferre amabat.

Sane mirandum non est, quod P. Franz studio apostolico tam vehementi incensus per triginta fere annos 454 missionibus, renovationibus,

exercitiorum cursibus, triduis aliisque huius generis laboribus interfuit, quibus annumerandi sunt labores apostolici externi minores, quorum numerus fere quadringentorum fuit. Porro addantur oportet labores apostolici interni, quibus in nostris ecclesiis incumbebat. E notis quibusdam diligentissime in libello ab ipso congestis apparet ipsum summam 7.432 sermones habuisse.

E domo Eggenburgensi, ubi muneris sui apostolici exordia sumpsit, iam sequenti anno 1895 in Bohemiae collegium Budvicense translatus est, ut ibi non tantum apud Germanos, sed etiam apud Bohemos, quorum linguam sat bene callebat, curae animarum inserviret. Cui collegio ab episcopo Schönborn anno 1888 condito, per tres annos ascriptus fuit. Budvici in honorem prodigiosae imaginis B. Mariae V., quae in ecclesia nostra valde honoratur, libellum conscripsit, cui titulus: « Maria Diva Mater Budvicensis ». — Budvicii P. Franz triennium tantum versatus est; quo elapso in fine anni 1898 collegio recenter erecto Zwittaviensi Moraviae ascriptus primum Rectorem R. P. Karlegger, a quo domus ista originem ducit, et consilio et re adiuvabat. Ibi consentiente archiepiscopo Olu-mucensi optime meritis est de edendo folio publico vere catholico eum in finem instituto, ut obicem efficacem opponeret cuidam folio rebus catholicis inimicissimo.

In altissimum apostolici sui muneris fastigium P. Franz evectus est, cum Patres nostri ab Eño Principe Episcopo Vratislaviensi Cardinali Georgio Kopp in Silesiam vocati sunt ad suscipiendam in sanctuario Divae Warthensis animarum curam. Inter primos Patres ad initia novae domus faciendae destinatos erat quoque P. Franz, qui cum superiore R. P. Diessel prima die mensis maii a. 1900 novum muneris sui apostolici campum ingressus est.

Erudita manu et experto ingenio superiori novae domus assistens tum instruendae domui tum prospiciendae peregrinantium curae ita operam dedit, ut numerus confitentium et communicantium in dies cresceret. Incipiente novo triennio (1904-1907) P. Franz superiori suo P. Diessel in Austriam redeunti in munere successit multamque operam impendebat ad augendam auctoritatem et existimationem sanctuarii Warthensis, ad quod tunc peregrinantium confluxus valde attenuatus erat. Praeterea optime meritis est de instituendo Warthensi « Monte SS. Rosarii », in quo ex opibus cuiusdam insignis benefactoris quinque sacella aedificavit, undecim reliqua successorum suorum curae committens. Pro istis meritis P. Franz anno 1907 a senatu urbano Warthensi civitate honoris causa donatus est. Triennio Warthensi elapso ipse ut simplex Pater Eggenburgi tum in sacro ambone tum in confessionali munere suo apostolico fungebatur. Immo et calamo operam dedit e manibusque demortui Patris Freund libellum periodicum suscepit inscriptum: « Maria de perpetuo succursu » (*Maria-Hilf*),

cui adornando per multos annos praefuit. Paulo ante duobus amoenissimis opusculis laudes Marianas descripsit, in quibus tractatur de B. M. V. de perpetuo succursu et de Maria Matre misericordiae. — Triennio, quod anno 1909 incepit, P. Franz Rector collegii Budvicensis nominatus est, unde multis missionibus aliisque laboribus apostolicis vacavit haud raro apostolica diverticula in Silesiam captando. Finito triennio iterum ut simplex Pater collegio nostro Linciensi addictus est. Ibi, cum vehementissimum bellum exarsisset, quo Europa fere tota conflagravit, P. Franz militibus tum vulneribus ictis tum morbo afflictis in variis Lincii nosocomiiis contionando, sacramenta ministrando, mortuos sepeliendo inserviebat. Domibus Silesiacis anno 1918 ad provinciam Germaniae inferioris aggregatis P. Franz mense septembri eiusdem anni iterum in domo Warthensi ad munus Rectoris vocatus multa commodo Sanctuarii istius vêtustate sanctitatis commendati prospexit. Huc praepriis pertinent conventus annui virorum, qui abhinc ex tota fere Silesia ad B. Mariam V. Warthensem confluere solent. — Cum anno 1921 superior P. Rösler iam morbo gravi labefactatus domus Vratislaviensis gubernacula validioribus manibus tradere cogeretur, P. Franz incipiente novo triennio in eius locum primus collegii Vratislaviensis Rector suffectus est.

Arduum opus sibi commissum novus Rector strenue aggressus est. Omnes nervos eo contendit, non modo ut belli et prolapsi deinde pecuniae valoris damna ac detrimenta sarciret, verum etiam ut domum sibi commissam ad feliciorum statum perduceret. Hinc iam anno 1922 cura sua indefessa domuncula nimis angusta aedificio novo ad vetus astructo ampliata est. Apud extraneos P. Franz brevi auctoritate et gratia ita floruit, ut omnibus, et eruditis et agrestibus, dominis et operariis, sacerdotibus et laicis, tam in metropoli Vratislaviensi quam in variis provinciae locis acceptissimus esset.

At vero magnus et acerbus dolor nobis incussus est, cum P. Franz die 8 decembris 1925 contione in sodalicio mariano Opolensi habita gravi morbo affectus in nosocomium Vratislaviense melioris curationis gratia transferri debuit. Inveterati enim morbi diabetis signa iterum apparuerunt. Etsi nos cura medici arte sua insignis suffulti, sanationem infirmi fere usque ad finem sperabamus, immo et ipsi infirmo spes laeta redeundi ad fratrum coronam affulsit, tamen, nescimus quo modo, otitis interna seu media accessit, ita ut sanies ex aure indesinenter effluere inciperet. Catastrophâ a medicis magno cum timore exspectata revera incidit eo momento, quo pus, quod iam amotum esse videbatur, in cerebrum prorupit, ita ut meningitis accederet, qua omnis spes sanationis evanuit. Cum brevi post infirmus sensu destitui videretur, illico ultimis ecclesiae sacramentis munitus est, at precibus liturgicis iam respondere non potuit. Attamen, etsi non voce, tamen exemplo patientiam animique tranquillitatem in dolorum

lecto tamquam de suggestu sacro praedicabat. Denique vesperi sabbati, die 13 martii, ante horam septimam placide ad meliorem vitam migravit coronam recepturus, quam S. Alphonsus genuinis Congregationis filiis in coelo paratam esse praedixit. R. i. p.!